

# MELISSA

EUROPAEA FOLIA SEXIES IN ANNO LATINE EDITA

Avenue de Tervueren, 76, Tervurenlaan - B-1040 BRUXELLIS. Tel. (02) 735 04 08

Editor Responsalis: Gaius LICOPPE - Compositrix: Francisca DERAEDT

Bureau de dépôt: 1040 Bruxelles 4 - Afgifte kantoor: 1040 Brussel 4

## Domi despecta, foris clara...

*"Quia non est propheta sine honore nisi in patria sua"*

*(verba Iesu ex Evangelio secundum Marcum, 6,4)*

Hoc dicendum est de cultura nostra classica!  
Nam ei, qui in Europa "potestatem decernendi"  
(quae hodie dicitur) tenent, obstinate et perse-

veranter operam dant ut linguae nostrae classicae  
id est Latina et Graeca oblivioni dentur. Quae  
tamen tam arte intextae sunt Europae historiae,



*Hoc modo victimae humanae  
plurimae immolabantur deis  
Aztecorum. Acie lapidea sacerdos cor  
e pectore fodit et proicit. Anima  
avolans fingitur plumata.*

*Cfr p. 4*

*Finnia est regio inter omnes  
Latinissima.*

*Videatis p. 13*

*O tempora! O mores! Praeterita solent  
meliora videri. Num tunc et merito?*

*P. 3*

*Hoc tamen nobis sit solacio: dei non  
erant meliores quam nos.*

*De mythologia legatis p. 10*

cultui civili sermonibusque vernaculis, ut, amisso eorum cultu, evanescat eius fundamentalis unanimitas. Non mirum ergo si multi homines politici iam autumant Europam tantum esse quoddam spatium geographicum, quorum gentes nihil habet commune!

Perspiciaciores sunt Finni, quamquam eorum lingua vernacula non est Indoeuropaea; existimant enim linguae Latinae notitiam necessariam esse alumnis, qui cupiunt cuicumque sermoni vernaculo Europae occidentalis vel Americae in studiorum universitate studere. Praeterea non inane iudicant emissiones radiophonicas Latinas per orbem diffundere.

Etiam orientales Europaei, excusso iugo communistico, studia classica restituere volunt, sed, conspecto occidentalium exemplo, inhihentur et dubitant. Experti scimus etiam Russos doctos linguae Latinae usum non respuere. In fasciculo periodici c. t. «Latinitas» anno 1993 edito (lib. II) sub titulo «Diarii Latini» leguntur haec: «In extrema Sibiria orientali lingua Latina nova ratione docetur: Vladivostokium, urbs Russica in Oceani Pacifici litore... Est ibi globus Latinitatis cultorum... Hi vestigatores grammaticam Latinam ope instrumenti computatorii docere felici cum exitu instituerunt.»

Extra fines nostri cultus civilis, Iapones iam saeculo praeterito cathedras linguarum classicarum nostrarum in suis universitatibus instituerunt. Pro certo habent Europaeorum mentem perspicere non posse nisi a peritis ad minimum linguae Latinae. Eorum peritissimi usum linguae Latinae nequaquam respuunt; quin etiam carmina Latina pangunt, quorum Melissa lectores nonnulla legere potuerunt.



Inter novissimum conventum Academiae Latinitati Fovendae docta Sinensis, nomine Li Ping, acroasin facere voluit de Latino sermone in Sinas allato. Cum adesse non posset, exemplaria eius acroasis praebantur. Ibi legimus linguas classicas nostris studere impossibile fuisse Sinensibus alumnis usque ad annum 1985. Per linguas Anglicam, Francogallicam, Theodiscam, Russicam et alias, quae iam docebantur, universitarii orbem classicum nostrum gradatim invenerunt atque compererunt eum vera cunabula esse cultus civilis occidentalium, qui dicitur. Quare ab anno 1984 tres historiae universitarii professores Administrum Educationis monuerunt omnino necessarium esse linguas Latinam et Graecam antiquam in Sinis docere.

Cui petitioni regentes assensi sunt atque his professoribus mandaverunt ut cathedras instituendas ipsi curarent. Maior difficultas erat homines invenire qui valerent linguam Latinam et Graecam docere. Nemo ex tanta Sinensium multitudine aptus erat ad hoc suscipiendum. Invenerunt tamen sacerdotem catholicum, nomine Han, 65 annos natum, qui cum esset iuvenis theologiae et litteris classicis studuerat in Canada. Qui post studia perfecta in Sinas revertit sed propter haec ipsa studia statim de aeroplano in carcerem coniectus est, ubi plus quam triginta annos mansit inclusus. Quamquam «lavatio cerebri», quae vocatur, efficere non valuit ut fidem suam amitteret, tamen deficiente exercitatione linguas classicas magnam partem oblitus erat. Maximo conatu doctrinam suam renovavit atque primus factus est professor linguae Latinae. Graecam tamen linguam docere non ausus est.

Alienigena ergo erat arcessendus. Imprimis Anglophonum quaesiverunt, cum alumni Sinenses hanc extraneam linguam plus quam ceteras discerent, sed nullus venire voluit. Denique invenerunt Germanum professorem, nomine Kytzler, in Libera Universitate Berolinensi docentem, qui in Sinas migrare assensus est atque conditor fuit Instituti Linguarum Classicarum in urbe Changchun.

Statim undique Sinarum permulti voluerunt primi alumni esse huius novae doctrinae. Primo tamen anno tantum sedecim inter optimos selecti sunt et accepti.

Iam erant professores et alumni, vix tamen in promptu erant libri ad institutionem apti.

Anno 1985 mense Septembri praelectiones incohatae sunt. Mirum quin etiam ridiculum erat audire sacerdotem catholicum alumnos linguam Latinam docentem ex Anglico enchiridio atque accentu Sino-Quebecensi; ei succedebat non minus mirandus professor Germanus qui linguam Graecam docebat Anglice ex Theodisco enchiridio!

Exitus tamen fuerunt prosperi. Post quattuor semestria alumni iam valebant breves lucubratiunculas Latinas conscribere, quae editae sunt sub titulo q. e. «Vita mea in Universitate». A quo tempore institutio linguarum classicarum in Sinis multum aucta est et nunc praebetur in compluribus universitatibus. Anno 1992 primus liber Latinus in Sinensem sermonem translatus est: agitur de Livii opere c. t. «Ab urbe condita».

Extranei docentes adhuc arcessuntur ab universitatibus Sinensium moderatoribus. Is cuius res interest scribat ad: Journal of Ancient Civilizations, Changchun 130024, P.R. China. Licet etiam eis symbolas divulgandas mittere.

Gaius LICOPPE



# NIHIL NOVI SUB SOLE

NARRAT FRANCISCA DERAEDT

Rem nuper legi, quae pertinet ad Aegyptum secundi millennii a.C.n. et quae mihi mirum in modum videtur hodierna. Agitur de corruptela.

His temporibus non solum in Italia scandala scandalis successerunt, sed in Belgica nonnulli administri publici etiam sunt in crimine propter similes causas. Quod facinus est in ore omnium Belgarum; extraneis tamen lectoribus, ad quos fluctus minimae nationis nostrae fortasse non pervenerunt, rem breviter exponam: res publica nostra nuper emit nova helicoptera bellica; inter societates commerciales, quae helicoptera proponebant vendenda, electa est societas Italica c.n. Augusta. Nunc tres administri publici putantur largitionibus ornati esse pro hac electione.

Est autem mirandum, quod idem legitur de tempore pharaonum (quamvis non agatur de helicopteris...). Quamquam inter illos et nos numerantur plus quam tria milia annorum, mutatis mutandis historia hominum semper manet eadem. Tempora mutantur, homines non mutantur sed pravi manent ut semper fuerunt. Est res mira.

Fama antiquarum societatum pendet a documentis quae nobis restant. Sethi I, Amenophis III, Ramses II ditissima sepulchra monumentave curaverunt exstruenda; picturis, inscriptionibus, thesauris ostenduntur prosperitas atque potentia societatis, quae videtur esse omnium optima.

Quid autem intus fiat, non tam bene scimus, cum in monumentis non narretur. Sed ad nos perlatae sunt raras papyri iudiciales, quae ea de causa sunt fere ignotae, quod multi Aegyptologi eas neglexerunt propter difficultatem legendi.

Sunt tamen attractivae: res enim narrant, quae non omnino congruunt cum magnifica Aegyptiorum fama. Ecce exemplum. Magni momenti est id quod vocatur «Institutum Sepulchri», cuius curā sepulchra pharaonum exstruuntur ornanturque. Aliquando in hoc Instituto quidam operarius, cum vellet munus magistri ab alio subripere, largitionibus suasit ei, cui inter candidatos eligendum erat.


Est ergo electus. Postquam creatus est magister operum, omnia sibi permisit: collegas vexavit, eorum uxores stupravit, quas postea praebuit filio suo, pecuniam

aliasque res furatus est, operarios coegit ut suo sepulchro operam darent potius quam sepulchro pharaonis. In papyro longe lateque narrantur eius rapinae: operariis non fuisse sepulchrum pharaonis curandum, sed bovem magistri alendum; eum in sepulchro pharaonis ambulavisse ad lapides sibi eligendos, defessum sedisse in ipso pharaonis sarcophago, ibi vinum sacratum bibisse. Quamquam ab ipso operario indicatus est, a quo munus subriperat, videtur poenas non solvisse. Nam largitionibus sibi comparaverat bonos protectores.


Inter alias res hoc etiam refertur: regnante Ramse III aliquando accidit, ut fiscus deficeret. Itaque operarii neque salarium acceperunt neque frumentum. Cum essent in angustiis, id fecerunt quod multi putant esse nostri saeculi proprium: operistitium. Opus relinquentes una cum uxoribus liberisque occupaverunt regia templa. Hoc saepe actum est sub regno Ramsis III, IV, IX et X.

Haec aliaque multa narrantur in libro Francogalli Aegyptologi P. Vernus: *Affaires et scandales sous les Ramses. La crise des valeurs dans l'Egypte du Nouvel Empire*, ed. Pygmalion, 1993. ☞

Similis res legitur in libro Iohannis Capart, *Je lis les hiéroglyphes* (Bruxellis 1946); ecce protocolum cuiusdam tribunalis; fures capti sunt post sepulchrum violatum:


 hr tr hrw tw  
nr wrtw n n.t,

... post nonnullos dies vigiles publici


 r dd wnw n trwt m tr imnt.t,


audiverunt nos furatos esse in monte occidentali


 tw.w sdi im.j,  
me ceperunt

 ddht.j m tr s.t ps hr.tl-c n n.t)


inclusus sum in carcere principis urbis

 tw.t ts(t)ps 20 n  
dbn n nb, mecum autem sumpseram 20 nummos aureos

 t hxyi r.t m diyt  
dnyl), meam partem praedae

 tw.t dj.tw n ss sps.t hr-m-ipt n tr mntw n.t,

eos dedi scribae regionis Khaemapet crepidinis urbis

 tw.f hr.c.(w)j atque ille me liberavit.

# DE AZTECIS (ULTIMA PARS)

SCRIPSIT GAIUS LICOPPE



*Haec statua deae "Coatlicue" (i.e. Terrae-Matris) est una ex monstruosissimis maximeque terrificis statuīs totius orbis terrarum. Fortuito inventa est anno 1824 sub solo plateae "Zecalo" media in urbe Mexico.*

*Summa pars constat ex duobus adversis capitibus crotalorum (crotalum est serpens Americanus cuius cauda paene similiter sonat ac crotalum). Eius gunna etiam serpentibus intexta est. Collum exsculptum est in formam labri circularis, in quod proticiebantur captivorum corda, cum adhuc palpitantia extraherentur e pectoribus cultro incisīs. Ipsum labrum ornatum est cordibus, manibus sectis et calvariis.*

*Cum victimarum membra ritualiter comederentur, manus, quae habebantur teneriores, nobilioribus reservabantur.*

Exstincto Aztecorum imperio Hispani suum regimen his terris imposuerunt, quas Ferdinandus Cortès appellavit «Novam Hispaniam Maris Oceani». Pro indigenarum cultu, qui rudis ac nefarius habebatur, vi substituti sunt mores, lingua, religio Hispanorum.

Sed nostris temporibus, quinque saeculis post Aztecorum mundi eversionem, hic Aztecorum cultus laudibus extollitur, qui fiat semen novi nationalismi Mexicani. Imprimis Tenochtitlan, olim funditus diruta, sub Hispanica urbe Mexico reperienda est. Anno 1978 media in urbe fortuito inventus est magnus lapis exsculptus. Quod non mirati sunt archaeologi, qui iam diu putabant maiorem pyramidem Tenochtitlanam, i.e. templum maius, prope praestantiorem hodiernam plateam c.n. Zecalo fuisse.

Anno 1982 incohatae sunt effossiones archaeologicae, quas rexit - res mira! - Eduardus Matos Moctezuma, e stirpe victi imperatoris Moctezuma oriundus. Templi maioris fundamenta reperta sunt atque plus quam septem millia fragmentorum Tenochtitlanorum in lucem iam sunt retracta. Multa fragmenta veniunt ex diversis nationibus ab Aztecis olim submissis, unde putatur hoc templum Aztecorum imperii fuisse umbilicum. Effossiones nunc difficilius fieri pergunt sub ingenti ecclesia cathedrali. Si in urbe solum effoditur, si tramen subterraneum exstruitur, archaeologi accurrunt qui opera statim suppressi iubent, dum aliquid Tenochtitlani reperiatur.

Quinquaginta circiter chiliometris ab urbe Mexico est locus c.n. Teotihuacan ubi templa, pyramides aliaque monumenta praehispanica servata sunt. Quae monumenta iam 700 annis ante Aztecorum dominationem exstruxerunt gentes de quibus vix quicquam scimus. Ipsi Azteci hunc locum numquam incoluerunt, quem habebant sacrum. Hoc anno die 21 m. Martii complura millia hominum non solum ex Mexico sed undique terrarum illuc confluerunt ad aequinoctium vernalis celebrandum. Nonnulli eorum, talibus vestibus induti, quales putabant Aztecos gessisse, modo insolito saltabant. Meridie magna pyramis obtegebatur multitudine candide vestita brachiaque ad caelum tollenti. Alii energiam solarem captabant, alii ritus imaginarios resuscitare conabantur!

Auspiciis curaque Metropolitanī Artium Musei



Neoboracensis instructa est Mexici magna expositio qua illustrantur «Triginta saecula splendoris Mexicani». Est enim titulus expositionis, cum ibi exhibeantur omnis aevi artificia ab antiquis usque ad nostra tempora. Idem est consilium expositionum, quae tempore Europalium hoc anno instructa sunt: monstrare volunt quomodo hodierni Mexicani suae regionis historiam totam in se recipere conentur ad identitatem homogineam adipiscendam. Nam quinque saecula satis non fuerunt ad fossam complendam inter Amerindorum Hispanorumque mentes. Novus mos nunc temporis apud occidentales, qui dicuntur, viget quo decet omnium gentium cultus paribus laudibus extollere et pro aequis habere.

Ego cum has expositiones lustris artificiaque praehispanica aspicio, cohiberi non possum quominus ea foedissima existimem. Certe, cum non sim artifex, de ipsa arte iudicare non valeo.

Potius opinionem tradam famosi artificis Alberti Dürer, cui licuit prima indigenorum artificia a Ferdinando Cortès in Hispaniam missa inspicere. Carolus V iusserat haec pretiosa artificia ad se Gandavum apportari. Albertus Dürer ea Bruxellis vidit atque in diario suo mense Augusto anni 1520 scripsit haec: «Nihil antea vidi quod cor meum aequae laetificaret: luna tota argentea amplitudinis amborum brachiorum extensorum et sol totus aureus eiusdem magnitudinis... Nonnulla artificia mirandam artem ostendunt; subtili ingeniositate incolarum illarum longin quarum regionum obstupefactus sum.»

Etsi de ipsa arte non, de culturali aspectu huius artis tamen possum iudicare. Quam longe ab Humanismo, quem nos docuerunt veteres Graeci, absunt haec monstra aspectu terribili vel hi vultus deformes horribilesque! 🐉

---

## DE THESAURO LINGVAE LATINAE

REFERT FRANCISCA DERAEDT

Aliquid mihi accidit. Aliquid extraordinarii, commotio quaedam, res quasi religiosa: invisit Thesaurum Linguae Latinae.

Thesaurus Linguae Latinae sedem habet Monachi. Mense Novembri praeterito cum illuc veheremur Ludos Horatianos participaturi, commeatu vehiculorum ita retardati sumus, ut primitiis neglectis statim properarem ad primam lustrationem, quam ex programme elegeramus: lustrationem dico illius Thesauri.

Situs est iuxta Theatrum Nationale; prementibus temporis angustiis, hoc nobis fuit solacio, quod Dr P. Caelestis Eichenseer, qui per complures annos assidue frequentavit ingentem Thesauri bibliothecam, nobis opportune dederat inscriptionem cursualem. Illuc ergo cucurrimus atque etiam currentes in nobile aedificium invasimus continuoque ascendimus nonnulla tabulata. Postquam anhelantes sanctuarium tandem intravimus, gregem lustratorum frustra quaesivimus. Nemo aderat, nisi rari felices quibus ibi est officium.

Interrogamus secretarium: nihil scit de ulla

lustratione. Secretarius interrogat directorem: et ille de hac re nihil umquam audivit. Director interrogat mulierem quandam: lustratio, inquit, fuit in votis sed postea relicta. Postea comperimus propositum ad vanum esse redactum propterea quod... in ipso Thesauri nemo inventus est, qui vellet rem Latine explicare!

Ceterum Dr Krömer director, cum videret nos esse valde deceptos, nobis benigne proposuit lustrationem privatam. Sic tres fecit felices: Annulam Llewellyn Americanam, Gaium Licoppe, me ipsam.

\*  
\* \*

Postquam in atrio salutavimus caput exsculptum Eduardi Wölflin conditoris, nobis licuit intrare sanctum sanctorum, bibliothecam qua omnino omnia continentur opera antiqua usque ad Isidorum Hispalensem. Eduardus ille Wölflin anno 1884 primum fasciculum in lucem edidit, in quo variis symbolis agebatur de Thesauri

condendo. Multi philologi eum adiuverunt, qui inter se textus dividerunt operamque dederunt ad schedulas conficiendas. Intra quinquennium tota Latinitas redacta est in schedulas, quibus materia lexicalis facilius tractaretur. Hae schedulae manu scriptae reconduntur in pyxidibus, quarum in subiuncta imagine Dr Krömer ostendit exemplum.


Sunt autem schedularum... decem miliones. Usque ad annum huius saeculi sexagesimum - tremo cogitans - erant unicae, sed incendia ex eo tempore non iam sunt timenda: nam omnia nunc sunt microtaeniis servata.

Primi redactores putaverunt quindecim annos sufficere ad totum opus parandum edendumque apud domum editoriam Teubner; postea visum est fieri non posse, ut Thesaurus finiretur ante annum 1930. Hodiernus autem director asseverat quadraginta annos adhuc esse necessarios.

Et patet opus esse ingens. Auxilium datur ab extraneis academiis, numero fere quadraginta, sine quibus propositum duobus bellis mundanis vix supervixisset.

\*  
\* \*

In ipsa Thesauri sede circiter viginti homines laborant schedulasque tractant. Quid sit schedula, melius intellegitur si unam ostendo:



Dr Krömer  
director Thesauri Linguae Latinae

VERG. AEN. III 669-681. FMP

19

669 sensit et ad sonitum vocis vestigia torrit :

670 verum ubi nulla dabitur dextra adlectare potestas

671 nec potis Ionios fluctus sequare sequendo,

672 clamorem immensum tollit, quo portus et omnes

673 contremuere undae penitusque exterrita tellus

674 Italicae curvisque immugiit Aetnae cavernis.

675 at genus et silvis Cyclopum et montibus altis

676 excitum ruit ad portus et litora complant.

677 cernimus adstantis nequiquam lumine horro

678 Aetnaeos fratres, caelo capita alta ferentis,

679 consilium horrendum : quales cum vertice celo

680 aeviae quercus aut coniferas cyparissis

681 constiterunt, silva alta Ionio lucro Dianae.

LINDA

*(Marginal notes in the original image: afflicti M, dextra M (qui M'lectum), p. f. terr. qui manum intendere, explicat addens dextra affectare i. y. dextra contingere, carere exempl., intrinsece FP, immugiit M, nb. complent FP, = Cyclopus = ad caelum, cyparissi M, nb. (ιστιναι); constiterunt FP et terr.)*

74

Haec schedula Vergiliana pertinet ad verbum, vel potius lemma, ut dicere solent, quod est «unda». Lemmata semper ostenduntur in suo contextu. Ergo hi versus Vergiliani in schedulas toties transcripti sunt, quot insunt verba. Sic tractati sunt omnes textus qui pertinent ad antiquitatem usque ad Antoninos imperatores. Seriores auctores sunt brevioribus schedulis praediti: aliter numerarentur miliones non decem, sed quinquaginta!

Imprimis etiam inerant nomina propria; insunt tomis A et B; in tomis C et D separatim editum est Onomasticon. Onomasticon postea distulerunt sine die.

\*  
\* \*

Cum unumquodque verbum habeat suam

*lux* (vol. VII 2 p. 1905, 56 sqq.):

i.q. claritas lucendo effecta, φῶς

caput prius: proprie

I generatim

A -x caelestis

1 diei, solis

2 signorum nocturnorum

3 fulminis

4 arcus caelestis

5 nimbi divini

B -x non caelestis

1 strictius pertinet ad ignem

2 latius vel hyperbolice

II speciatim de virtute oculorum

A per se

B cum determinatione

caput alterum: in imagine et translate

I usu profano et communi

A praevalente respectu decoris, praeclaritatis sim.

1 metonymice de hominibus

2 de ipsa praestantia

B praevalente respectu intellegentiae salutaris, revelationis, explanationis sim.

II usu Iudaeorum et Christianorum proprio

A generatim

B metonymice

C peculiaria

historiam, difficile est modum verborum describendorum legibus constituere. Nonnullae tamen consuetudines acceptae sunt; sic fit ut fere omnes lexicis articuli constent ex his partibus:

1. constitutio lemmatis: scriptura vocis ac prosodia.

2. exordium: ubi generalia quaedam proferuntur de lemmatis etymologia, genere, formis, prosodia etc.

3. pars principalis: ad lemma explicandum non praebentur versiones vernaculas, sed synonyma aut periphrases.

Ut habeamus exemplum, infra proponitur explicatio vocis, quae est "lux".

4. additamenta: quae plerumque sunt appendicula stilistica.

Cogitetis, quot horae necessariae sint ad unum verbum tali modo scientifico describendum. Ingens opus, maxima admiratione dignissimum. ⚡

# MELCHIORIS BARLAEI ANTVERPIENSIS

(CA. 1540-1584) EPISTOLAE ET CARMINA

SCRIPSIT THEODORICUS SACRÉ

Barlaeorum gens Antverpiensis Camenae dedita complures protulit poetas Latinos eosque haud inegantes. Quos inter fama etiam nunc claret Gaspar (Antverpiae, 1584 - Amstelodami, 1648), poeta suae aetatis princeps olim appellatus, orator, historiographus, *Athenaei Illustris* Amstelodamensis professor, Constantini Hugeni amicus. Huic autem pater erat eodem insignitus praenomine (+ 1595), qui munere graphiarum Antverpiae fungebatur, urbe autem patria anno 1585 expugnata, in Bataviam cum suis fugit, ubi versibus tam Latine quam Neerlandice scribendis indulsit, dum scholae cuiusdam Latinae est rector. Gaspari senioris fratres Iacobus et Melchior ardore haud minore Musis litarunt; siquidem Iacobus (+ Briellae, 1603), cum eodem anno quo Gaspar Antverpia fugisset scholaeque Brielanae esset rector creatus, non solum complures per annos Gasparum iuniorem domi suae et aluit et erudivit, sed et ipse haud paucos reliquit versus lectu dignos epistulasque non invenustas.<sup>1</sup> Iacobum vero fratrem ingenio poetico facile superavit Melchior Barlaeus (Antverpiae, ca. 1540 - ca. 1584); nec fratrem tantum; nam iudice Georgio Ellinger, ipsi Gasparo iuniori erat estque anteponeendus.<sup>2</sup>

Quo anno sit natus Melchior ille non constat; habuit autem Christinam sororem, Gasparum fratrem natu maiores, iuniores fratres Balthazarum, Iacobum, Iohannem. Pater, Lambertus praenomine (° Antverpiae, ca. 1505), iuxta S. Andreae familiam sustentavit; idem Latine non mediocriter imbutus (servantur enim epistolae, quas Latine et sat emendate scriptas ad filios dedit), Desiderium Erasmum cognoverat; ceterum annos amplius XL graphiarius erat Antverpiensis. Qui cum non esset admodum dives, filios tamen artibus liberalibus erudiendos curavit, magnis ob id ipsum factis impendiis. Quae res fructu non caruit. Nam annis 1562 et 1563 complura carmina publici iam fecit iuris Melchior filius, ut *Bucolica*, *De diis gentium*, *Urbis Antverpianaen encomium*, *De raptu Ganymedis* carmen elegantissimum.<sup>3</sup> Itaque subveniente senatu Antverpiensi, Melchiori iter Italicum et studiosum instituere licuit; qui Antverpia vere anni 1563 profectus videtur esse, comitantibus Baptista et Carolo de Tassis, adolescentibus urbis Antverpiensis nobilibus, fortasse et Gerardo Falkenburgio Noviomago, viro Graece peritissimo. Melchior autem die 18 m. Novembris anno 1563 studiosorum in album Patavinorum est relatus<sup>4</sup>; iuri sese dedit. Quo autem modo dies ibi transegerit

patet ex epistula ad patrem data, quam primum hic edimus.<sup>5</sup>

[f. 31r] *Patri suo carissimo Melchior Barlaeus S.D.*  
21 Octob[ris] 1563.

*Venit mihi tandem in mentem me tibi scripsisse ante septimanas aliquot occasionem aliquando nobis posse offerri ut, dierum quattuordecim non expectato intervallo statuto, citius ad te litteras possem dare. Opportune in praesentia id mihi usu venit. Non parvam equidem litterarum mearum partem occasionem commodum eas transmittendi esse duco. Facillime enim de nihilo quasi ad te mihi argumentum reperitur, quippe qui te epistulis cuiuscumque materiae, eo quod meae sint et ex longinquo veniant, delectari sciam. Itidem magis ad te indicandae valetudinis meae gratia quam ostentandae eloquentiae scribo, atque ut in hoc studium minus, minor etiam est molestia. Professorum lectiones hac septimana inchoatas aliquot visitavimus; nondum tamen cuiquam adiurati sumus. Ubi cumque oratio aliqua habetur hic Patavii quacumque in professione, non temere absum. Tanto enim impetu ad oratoriam artem feror, quanto olim ad poeticam, quamquam cura poesios<sup>6</sup> nondum mihi exciderit, sub omni etenim aurorae exortu. Sed praestat tibi studiorum nostrorum rationem summam percurrere, quam raptim longis eam trahere periodis. Exordium ab matutino tempore sumam. Mane sub horam undecimam - sed, ut melius rem sapias, utar horis vestris -: mane sub horam quintam (tum enim ut plurimum me somnus relinquit) nihil corpori dormitabundo<sup>7</sup> concedens lecto efferor. Silicis scintillam excudo, ex qua aridis suscepta nutrimentis sulphure flammam excito. Incensa lampade primum studium poetices est in horam octavam. Ab octava, nisi audiendis lectionibus vacemus, toti sumus in oratoribus usque prandii tempus. A prandio Graecanica in manibus capio. Hora tertia adventat Graecensis ille, apud quem ita profecimus, ut etiam epigrammata graecissantia facitemus exercendi gratia. A tertia repetitio fit usque vespere[m]<sup>8</sup>. Postea me confero ad lectiones historiarum, ex quibus (sicut aliis auctoribus) loca, quae vocant communia, colligo; ea sunt et verba et sententiae et exempla adnotata digna. Facimus id non tam alios imitati, quam Erasmum idem in utraque copia suadentem secuti, ut, si quando istiusmodi quod aliquando legimus nobis usu veniat, statim in promptu sit.<sup>9</sup> Hora octava, ut more vestro numerem, ceno. A cena aut aliquid Ciceronis, aut Demosthenem lego. Ante*





duodecimam numquam, saepe hora prima, etiam tardius me somno do. Cum viro natione Graeco<sup>10</sup>, qui proximus cubiculo meo est, assiduitate in lucubrationibus et in studiis diligentia certo, quamquam ipse diligentissimus est et emaceratur nimis vigiliis. Ad hanc studii rationem nihil puto a quoquam posse desiderari, nisi et ab illo valetudinis meae desideretur periculum. Quantum ad victum, libra et media carnis mihi in duos dies plus quam sufficit. Loco oleris est ius. Interdum aliquid leviter lixatum<sup>11</sup>; panis vestratis octodenarii nimius est<sup>12</sup>. Ad potum cuiusque prandii quarta pars vestratis poculi plus satis est; vinum, quamquam non ita vinosum, cocta tamen tempero aqua. Haec sobrietas facit ut eadem, quae ante, post sumptum cibum mihi alacritas ad studium supersit. Tentaculum sumimus numquam. Quod attinet ad libros et vestimenta, maximus in primum annum sumptus cadit; proximis quidem non erit necesse ea comparare, quae hoc comparata sunt; in discessu venum dabuntur, quasi ad usuram eorum usque fuerit. Mittes igitur quam poteris citissime secundas cambii litteras<sup>13</sup>, ne mihi acri hieme cum Venetis res habenda sit: tum enim malim inter studiorum fervores brumae rigorem domi sedens fallere. Vale, matrem, fratrem et sororem Christin[am] ἀσπάζομαι.

<marginē adscriptum:> Octobris vigesima prima Ex Padua

[f. 31v] Patri suo carissimo Lamberto Barlaeo scribae in Antverpiensi Curia. Antverpiae.<sup>14</sup>

Iter fecerat Melchior studiorum causa; et mox candidati iuris gradum obtinuit. At et poetices studia rapuere, allexere aliae urbes Italicae et exterae. Ex Italia ergo redux, Parisios Londinumque tetendit ille, aere alieno interdum tam oppressus, ut in carcerem sit coniectus. Anno 1569 ineunte Melchiorem denuo vidit urbs Antverpia, in qua ille una cum Gerardo Falkenburgio, Ioanne Goropio Becano, Christophoro Plantino, aliis Ianum Dousam, praeclarum poetam Antverpiae tunc morantem, medio mense Martio convenit.<sup>15</sup> Iuvenem ad munus quoddam Antverpiense honorificum suscipiendum putares aptum - nisi in re pecuniaria nimis fuisset incuriosus. Ceterum Antverpia in potestatem Calvinistarum redacta, Barlaeus a fide sua non desciverat, reliqua familia aut desciverat aut favebat saltem Calvinistis; subinvidebant fratres poetae maiori... Itaque Melchior anno 1572 in Italiam denuo fecit iter, ut officium sibi compararet. Frustra tamen est conatus dum grandissimum conflatus alienum. Epistulae eius anni et insequentis<sup>16</sup> testantur quantopere fuerit et aere obrutus et desperatione affectus, ita ut ne doctoris quidem titulum consequi temptaverit. Pauper ergo et egenus in patriam revertit; ibi in vincula coniectus et carcerem, litteras supplices misit ad Philippum Marnixium Sanctaldegondum, ut pro se liberando pugnaret.<sup>17</sup> Quo autem anno quove mense libertate sit donatus non constat; at anno 1580 vel circiter pro Gasparo Schets nonnulla

gessit negotia, Camenae interdum dedit operam. Anno circiter 1584 mortem obiit, parte maiore et epistolarum (quae comprehendunt folia amplius CCC) et carminum Latinorum (quae complectuntur folia plus C)<sup>18</sup> inedita; quae adservantur Antverpiae in Museo Plantiniano.

ADNOTATIONES

- 1 Cfr. J. Peeters, Gedichten en correspondentie van Jacobus Barlaeus. Vergezeld van commentaar en gevolgd door beschouwingen over zijn biographie, dichtkunst en persoonlijkheid (Diss. Gandavensis, 1950).
- 2 Cfr. G. Ellinger, Geschichte der neulateinischen Literatur Deutschlands im sechzehnten Jahrhundert, III, 1: Geschichte der neulateinischen Lyrik in den Niederlanden vom Ausgang des fünfzehnten bis zum Beginn des siebzehnten Jahrhunderts (Berolini, Lipsiae, 1933), pp. 102-105.
- 3 Carmen de raptu Ganymedis adnotatione critica et commentario instructum mox in lucem edet Iulianna Katona mulier docta.
- 4 Cfr. J. den Tex, «Nederlandse studenten in de rechten te Padua 1545-1700», Mededelingen van het Nederlands Historisch Instituut te Rome, R. III, 10 (1959), 45-165 (pp. 70-72).
- 5 Antverp., Museum Plantinianum, cod. M. 279, f. 32r-v. Orthographiam et interpunctionem usui hodierno accommodavi. Cfr. J. Denucé, Musaeum Plantin-Moretus. Catalogus der handschriften (Antverpiae, 1927), pp. 167-168.
- 6 Poesios = poeseos.
- 7 Dormitabundus, -a, -um: cfr. R. Hoven, Lexique de la prose latine de la Renaissance (Leidae, Novi Eboraci, Coloniae, 1994), p. 114: vocem adhibuit i.a. Erasmus.
- 8 Vespera Barlaeus, correxi (at cfr. F. Neue, Formenlehre der lateinischen Sprache, I, ed. C. Wagener (Lipsiae, 1902<sup>3</sup>), p. 977).
- 9 Cfr. D. Erasmus, De copia verborum ac rerum (ed. B.I. Knott, Opera Desiderii Erasmi Roterodami recognita et adnotatione critica instructa notisque illustrata, I, 6 (Amstelodami, Novi Eboraci, Oxonii, Tokii, 1988), II, p. 258): «Ergo qui destinavit per omne genus autorum lectione grassari (nam id omnino semel in vita faciendum ei qui velit inter eruditos haberi), prius sibi quam plurimos comparabit locos.»; Id., Ratio studii ac legendi interpretandique auctores (ed. J.-Cl. Margolin, Opera..., I, 2 (Amstelodami, 1971), p. 149): «... si rhetorices summam hoc est locos et exornationes in promptu habebimus. His rebus instructi non oscitanter obseruabimus, si quod insigne verbum, si quid antique aut noue dictum, si quid egregium orationis decus, si qua sententia, si quod adagium, si quod exemplum occurrerit dignum quod memoriae commandetur; isque locus erit apta quapiam notula insigmiendus.»
- 10 Cuius nomen, ut alia multa, celavit Barlaeus. Ceterum studiosi Graeci magno numero Patavium confluere solebant; cfr. G. Plumidis, «Gli scolari greci nello Studio di Padova», Quaderni per la storia dell' Università di Padova, 4 (1971), 127-141.
- 11 Lixatum = elixatum sive aqua coctum.
- 12 Panis vestratis octodenarii nimius est: sententia haec quid significet quove sit structa modo nondum mihi liquet. Quid octodenarii? An octo denariorum? Denariusne pro mensura ponderis ponitur?
- 13 Cambii litteras, i.e. litteras cambiales sive commutationum; est vox mediaevalis ab humanistis recepta (cfr. R. Hoven, o.c., p. 48).
- 14 Adnotavit Lambertus pater: [Re]cepta VIII Novembris 1563.
- 15 Cfr. C.L. Heesakkers, Praecidanea Dousana. Materials for a Biography of Janus Dousa Pater (1545-1604). His Youth (Diss. Leidensis) (Amstelodami, 1976), pp. 19 et 54-60.
- 16 Quas mox in lucem edet Iulianna Katona.
- 17 Eas litteras non sine mendis ediderunt A. Gerlo et R. De Smet, Marnixi Epistulae. De briefwisseling van Marnix van Sint-Aldegonde. Een kritische uitgave, Pars II (1577-1578), door A. Gerlo en R. De Smet (Bruxellis, 1992), pp. 217-220.
- 18 Cfr. J. Denucé, o.c., pp. 166-167.

# DE TEMPORIBUS ANNI VARIANTIBUS

## IN MYTHOLOGIA GRAECO-ROMANA

SCRIPSIT ERICUS PALMÉN

Mythologia antiqua Graeco-Romana, si persona viva fieret, optimo iure ita gloriari posset: «Ego nil humani a me alienum puto». Cogitanti mihi, quidnam in deis et deabus mythologicis tot homines delectet, interdum in mentem venit iudicii gravissimi a Xenophane philosopho de iis expressi: in mundo divino Homeri et Hesiodi nihil esse, unde homines sibi exemplum petere possint; deos enim in carminibus eorum omnia facere, quae apud homines mala et turpia iudicentur: furari, scortari, insidias inter se moliri (10 Diehl). Fortasse id ipsum, quod profecto et dei et deae in mythologia Graeco-Romana variis vitiis humanis urgentur, his figuris tantum dat suavitatis et familiaritatis, ut nos de iis fabulas audientes aut legentes velut domi versemur.

Ea, quae ad argumentum huius acroasis pertinent, certe plena sunt variarum rerum humanarum.

### QUATTUOR AETATES

Primum quidem videamus quidnam poetae Graeci et Romani de quattuor aetatibus tradiderint, quarum prima, aetas aurea, olim felicissima fuisset. De iis Hesiodus in Theogonia Graece cecinerat, Romae autem multis saeculis post Ovidius eadem fere in Metamorphosis suis Latine reddidit; qui aetatem auream his versibus adoritur laudare (Metam. I 89-93):

*Aurea prima sata est aetas, quae  
vindice nullo,  
sponte sua, sine lege fidem  
rectumque colebat.  
Poena metusque aberant, nec  
verba minantia fixo  
aere legebantur, nec supplex  
turba timebat  
iudicis ora sui, sed erant sine  
vindice tuti.*

Tum nondum ullis militibus,  
ullis armis opus fuisse; omnes  
gentes securas mollia otia egisse;

ne agros quidem aratos esse, quia tellus per se,  
sine ullo labore, hominibus omnia daret: arbuteos  
fetus montanaque fraga et alios fructus. Nondum  
quemquam didicisse carne vesci. Illa aetate (I 107-  
112)

*ver erat aeternum placidique tepentibus auris  
mulcebant zephyri natos sine semine flores.  
Mox etiam fruges tellus inarata ferebat  
nec renovatus ager gravidis canebat aristis.  
Flumina tam lactis, iam flumina nectaris ibant  
flavaque de viridi stillabant ilice mella.*

Repente tamen auream aetatem finitam: cum  
Saturnus a filio suo Iove regia potestate privatus  
esset, aetatem argenteam aureae successisse. Tum  
etiam in locum veris aeterni quattuor tempora anni  
substituta esse (I 116-118):

*Iuppiter antiqui contraxit tempora veris  
perque hiemes aestusque et inaequales autumnos  
et breve ver spatii exegit quattuor annum.*



*Deucalion, filius Promethet, et Pyrrha, filia Epimethet, soli superstites diluviet, qua Iuppiter genus humanum delevit.*

Aetate argentea hominibus contra, atque antea, necesse fuisse se a frigore hiberno et a calore aestivo protegere - itidemque sui alendi causa semina serere et agros arare (I 121-124):

*Tum primum subiere domos; domus antra fuerunt  
et densi frutices et vinctae cortice virgae.  
Semina tum primum longis Cerealia sulcis  
obruta sunt, pressique iugo gemuere iuvenei.*

At ne argenteam quidem aetatem perpetuam fuisse; tertiam successisse aeneam prolem, quae priore esset (I 126-127) «saevior ingeniis et ad horrida promptior arma, non scelerata tamen». Postremam venisse ferream aetatem, qua omne nefas inter homines prorupisset (I 130-131): «fraudesque dolique insidiaeque et vis et amor sceleratus habendi». E visceribus terrae effossas «opes, irritamenta malorum» (I 140). Bellum prodisse; arma crepitantia manu sanguinea concuti coepta. Postremo deos tanto taedio impietatis hominum captos esse, ut universi terris relictis in Olympum commigrarent (I 144-150):

*vivitur ex rapto, non hospes ab hospite tutus,  
non socer a genero, fratrum quoque gratia rara  
est.*

*Imminet exitio vir coniugis, illa mariti,  
lurida terribiles miscent aconita novercae;  
filius ante diem patrios inquirat in annos.  
Victa iacet pietas, et virgo caede madentes  
ultima caelestum terras Astrea reliquit.*

Apud Hesiodum haec de quattuor aetatibus fabula paene similis invenitur atque apud Ovidium. Nomina tantum deorum sunt diversa: pro Saturno Romano est Κρόνος Graecus ac pro Iove Ζεύς. Tradebatur etiam Κρόνος a proprio filio potestate expulsus in Italiam confugisse ibique Saturnus appellatus clementer et iuste regnavisse, donec eandem sortem denuo nancisceretur.

#### HUMANUM GENUS DILUVIE RENOVATUR

Ovidius rem narrare pergit. Dicit Iovem in terram descendisse, ut experiretur, num homines tantae, quantae fama ferret, impietatis essent, atque cognovisse veritatem ipsa fama quoque asperiores esse. Tum constituisse eum totum genus humanum delere aliudque illo melius creare. Omnia ingenti diluvie immersa esse praeter duos homines, Deucalionem et Pyrrham, qui semper deos summa cum pietate coluissent. Hi cum divinis consiliis obsecuti saxa post terga iactassent, ex iis novum genus humanum ortum, quod tamen simili, ac prius, duritia esset (I 414-415):

*Inde genus durum sumus experiensque laborum*

*et documenta damus, qua simus origine nati.*

Ferrea igitur aetas in mundum, ut ibi maneret, venisse videbatur; Saturnalium quidem diebus Decembribus, quibus inter omnes homines rite aequalitas esset ac bona voluntas, cuivis occasionem dari veteris regni Saturni recordandi. Nec tamen aetate Augusti deerant, qui faustiora sperarent. Iam ante Ovidium Vergilius in omnibus operibus suis - praesertim in Ecloga quarta - praedixerat meliora tempora esse reditura: puerulo quodam nato ferream aetatem primum aeneae cessuram, deinde aeneam argenteae (quam quidem poeta non nominatim commemorat), donec puer ille togam virilem sumens priscam auream aetatem et ver aeternum secum referret.

#### PATERFAMILIAS LIBEROS DEVORANS



*Titanis Rhea (Ρεία) sive Ops et Titan Kronos (Κρόνος) sive Saturnus, maritus eius. Uxor, quotiens partum ediderat, eum marito devorandum tradere cogebatur, ne quis filiorum, ut praedictum erat, patrem potestate expelleret. Cum vero Zeus (Ζεύς) sive Iuppiter natus esset, maritus pro eo saxum ab uxore sibi porrectum devoravit.*

In fabulis supra narratis ortus quattuor temporum anni creditur fuisse poena, qua homines affecti essent, neque nisi partim sua culpa, quia Iuppiter ipse per vim Saturno patri regnum adimens finem aureae aetatis et initium malorum fecisset. In Graecia res etiam allegorice explicabantur. Nomen Κρόνος idem esse ferebatur ac appellativum Graecum κρόνος «tempus»; hunc suos liberos devorantem revera nihil esse nisi tempus, quod labens annos singulos devoraret.

Hac explicatione allegorica in alias de ortu

temporum anni fabulas inducimur, e quibus elucet, quam varia et inter se discrepantia fuerint ea, quae de iisdem numinibus credebantur. Necesse est quaeramus, qualis denique paterfamilias Κρόνος fuerit - num revera eo regnante ubique serena illa felicitas aureae aetatis esse potuerit. Quibusdam enim fabulis idem potius tyrannus suspiciosus describitur, qui patriae potestatis conservandae causa plus, quam aequum esset, vim adhibuerit.

Dicebatur Κρόνος Titan sive Saturnus iam, antequam ullam prolem haberet, ingenti metu captus esse, ne, ut oraculo praedictum esset, a suo aliquando filio potestate expelleretur, sicut ipse quoque patrem suum, Uranum sive Caelum expulisset. Peculiare eum consilium inisse, ne quid periculi a suis liberis sibi immineret: quotiens uxor Ρεία sive Ops prolem peperisset, huic imperavisse, ut eam sibi traderet devorandam. Ita duas filiolas et

duos filiolos a patre devoratos esse; eandemque sortem tertiae filiolae obtigisse, quae simul cum tertio filiolo nata esset. Paullatim tamen uxorem pigere coepisse, quod videlicet numquam, ut ceterae matres, liberos educare posset; vel unum e natis suis esse servandum. Ad hoc efficiendum dolo opus fuisse. Pro tertio filiolo sive Iove eam marito ingens saxum fasciis involutum porrexisset, neque hunc quidquam fraudis suspicatum esse. Puerulum servatum clam in insulam Cretam allatum a Curetibus et a nympa quadam in antro curatum. Hae, si opus esset, magna voce tumultuarentur, ne pater vagitum infantis audiret. Deinde Iovem, cum adolevisset, ad patrem potestate



*Juppiter sive Zeus (Zeús),  
filius Saturni et Rheae*

privandum se paravisse ac tandem suadente dea sapientiae ei poculum magicam medicinam continens porrexisset. Quo exhausto patrem statim evomuisse liberos a se devoratos, qui scilicet ob divinam suam indolem in ventre eius incolumes mansissent.

Ita Iovem simul duobus fratribus et tribus sororibus acceptis regno potitum imperium ita divisisse, ut Ἅιδης sive Pluto frater inferos, Ποσειδῶν sive Neptunus frater maria, ipse omnia reliqua obtineret. Sororibus magis modicas partes datas esse: Ἥρα sive Iuno uxor Iovis Optimi Maximi, Δημήτηρ sive Ceres dea frugum et fertilitatis, Ἑστία sive Vesta focorum custos fieret. Iovem autem sola uxore liberisque ab ea partis, quorum clarissimi erant Ἄρης sive Mars, deus belli, et Ἥφαιστος sive Vulcanus, deus ignis, contentum non fuisse; praeter uxorem, quo uberiore prole mundum completeret, eum amatrices

quoque haud paucas sibi conciliavisse. Ita fieri potuisse, ut a Μαία, filia Atlantis Titanis, ei Ἑρμῆς sive Mercurius, nuntius deorum facundus, a Diona nympa Ἄφροδίτη sive Venus, amoris dea, pareretur. Reliquas amatrices praetermitto; in hoc conxu nostra plurimi interest commemorare Cerere sorore ei filiam natam esse, quae Περσεφόνη sive Proserpina appellaretur.

In harum figurarum divinarum mutuis relationibus nonnullae fabulae ad variationem temporum anni pertinentes reperiuntur; ad quas in posteriore parte acroasis meae redibo. 🐉

*continuabitur*

## DE NOVO LIBRO : Genovefa IMME, *Per auras iacta. Jeté au vent*, ed. Tarmeye (F-43520 Mazet Saint Voy), 1993.

*Introibo renovata sponsa  
ecclesiam aeternam supremam.  
Me Ninus exspectat diu iam,  
ut sponsus in terris resistens  
longe ante sponsam iam prior anteit,  
uxorculam exspectans sacello.*

Totius libri argumentum his versibus continetur: poetria marito suo e vita ablato dedicat carmina amore flagrantia. Quae carmina sunt ad inferos «per auras iacta»: hic non Orpheus petit

Eurydicem, sed Eurydice Orphea.

Textus autem et Latine et Francogallice proponuntur; omnes sunt poetico more compositi, alii secundum regulas classicas, alii modo magis moderno. Latinis versibus addita est utilis explicatio metrica: sic etiam imperiti lectores intellegere possunt qui versus sint Pherecratii, qui Alcaici, quomodo hodiernorum «prosaica poematia», quae dicuntur, in Latinum vertantur.

Opus pactum est tam mirabili amoris impetu, ut mors nihil esse videatur. Utinam... 🐉

# QUID NOVI FINNI MEDITENTUR

Finnica societas radiophonica (YLE) sine dubio est prima societas commercialis quae gaudeat se Latinitati favisse. Nam causas habet gaudendi, cum in toto orbe terrarum ingens numerus auditorum auscultet Finnicam radiophoniam, linguae impedimento mirum in modum superato. In Latinitate promovenda ceteris audacior fuit, nec sine effectum: non solum eius fama crescit, sed res commerciales florent. Admiramur et gratulamur.

Ceterum, si cogitamus fere 15 miliones hominum numerari qui sermonem Latinum intellegere valeant, res certe est operae; nos quidem satis superque laetaremur si Melissae esset solum unus milio lectorum...

Sed difficultas in eo est, quod, si volumus homines attrahere et allicere, imprimis debemus illos 15 miliones hominum tangere. Haec autem est insuperabilis quaestio pecuniae. Quam pecuniam Finnica radiophonia non dubitavit erogare ad praeconium faciendum. Id sibi comparavit, quod est omnino necessarium: latum praeconium, cooperatores industriosos. Inde successus, inde nova proposita:

**1. Latinitas satellizata!** Fieri nunc potest ut Nuntios Latinos audibillius accipiatis propter satellitem c.n. Eutelsat II (dum vobis sit instrumentum aptum); ecce horarium:

- in Europa, Asia et Africa septentrionali:  
Saturni die 19.55 GMT 22.55 GMT  
Dominico die 02.25 GMT 05.55 GMT 14.55 GMT  
Eutelsat II F1 11.163 GHz. 8.10 MHZ  
(Worldnet/Deutsche Welle Audio Subcarrier)
- insuper in Europa occidentali:  
Dominico die 15.25 GMT  
Astra IB, Channel 22, 11.538 GHz. 7.74 MHZ  
(MTV-Europe Audio Subcarrier)

**2. Non dubito quin fere omnes Melissae lectores iam emerint primum **librum** Nuntiorum Latinorum.** Secundus iam est in lucem editus, quo proponuntur nuntia a mense Septembri a. 1991 usque ad mensem Augustum a. 1993. Ut iam factum est in primo libro, adduntur summaria et lexicon modernum sermone Finnico et Anglico conscripta. Textus eo magis sunt attractivi, quod de rebus tractant recentissimis, lingua diurnariorum, verbis hodiernis.

*Tuomo PEKKANEN, Reijo PITKÄRANTA, Nuntii Latini*

*II, Helsinkii, ed. Suomalaisen Kirjallisuuden Seura, 1993. Si librum emere cupitis, scribatis ad: Finnish Literature Society, P.O. Box 259, SF-00171 Helsinki.*

**3. Auspiciis radiophoniae Finnicae etiam editus est **phonodiscus** compactus.** Nam Latinitas in Finnia nunc habet suam cantatricem, Reginam dico Rimón quae cum suis «papis fervidissimis»



*A sinistra parte ad dextram: Regina Rimón, Quintus Horatius Flaccus, Thomas Pekkanen.*

(grex vocatur «Reine Rimón and Her Hot Papas») artem suam iazzicam Latinitati nunc dicat. Professor autem Thomas Pekkanen poeta abundans (nonne in Latinum vertit 22.795 versus Kalevalae?) ita adaptavit carmina Horatiana, ut essent modo iazzico cantabilia; inter quae hoc carmen (1,37) nemo est, quin agnoscat:

*Tempus est bibere vobis sodalibus,  
terram pulsare iam liberis pedibus,  
aras caelestium largiter dapibus  
tempus ornare nunc est Saliaribus.*

Qui phonodiscus petendus est ab: YLE International Information, P.O. Box 10, SF-00241 Helsinki.

Quid novi Finni meditentur postea proponendum, iam avidi exspectamus!

# QUID BYZANTINIS DE HORATIO NOTUM FUERIT

SCRIPSIT IOHANNES IRMSCHER

Quintum Horatium Flaccum, aetatis Augusteae poetam nobilissimum, aevo quod dicitur medio minus notum fuisse<sup>1</sup> quam Vergilium Mantuanum vel Titum Livium historicorum principem inter omnes viros philologiae peritos constat. Ita res se in parte occidentali habebant; sed quomodo in parte orientali illius orbis mediaevalis se habuerint, nobis nunc quaerendum est.

Imperium Romanum temporibus ruentibus lege bipartitum, litteris autem et artibus semper unitum fuisse nemo est qui nesciat. Graeci artibus eruditi etiam lingua Latina utebantur verbaque Latina comprehendebant. Tamen **Eusebius** Caesariensis episcopus doctissimus, cum circa annum trecentimum tertium Chronica historiarum Graecorum atque barbarorum componeret<sup>2</sup>, Horatii nomen omisit; **Hieronymus** autem, qui paulo post Eusebii opus in linguam Latinam transferens multis locis emendavit, nonnullas animadversiones ad Quintum Horatium Flaccum pertinentes addidit. Ad annum ante Christum natum vicesimum tertium annotavit: «**Quintilius** Cremonensis Vergilii et Horatii familiaris moritur»<sup>3</sup> - ille **Quintilius** Varus Cremonensis equestri loco ortus philosophabatur, ab Horatio propter facultatem criticam laudabatur<sup>4</sup>. Ad annum ante Christum natum decimum septimum **Hieronymus** scripsit: «**Varius** et **Tucca**, Vergilii et Horatii contubernales, poetae habentur inlustres»<sup>5</sup> - **Lucius Varius Rufus** propter carmen epicum «**De morte**» et propter tragoediam, quae «**Thyestes**» inscribitur celeberrimus et divitissimus, ab Horatio apud Maecenatem inductus est<sup>6</sup>, **Plotius Tucca** autem e Gallia cisalpina ortus Vergilio amicissimus erat<sup>7</sup>. Postremo **Hieronymus** de Horatii morte rettulit: «**Horatius** LVII aetatis suae anno Romae moritur»<sup>8</sup>.

**Priscus Panita** - Panio quod est Thraciae oppidum, ortus<sup>9</sup> - rhetor et historicus clarissimus, quinto saeculo florebat. Se legationi Romanae ad **Attilam**, Hunnorum principem, missae attributum esse narravit. Scripsit Ἱστορίαν Βυζαντιακὴν καὶ κατὰ Ἀττήλαν Graece, sed etiam lingua Latina eum, qui suprema munera fungebatur<sup>10</sup>, peritissimum fuisse pro certo habendum est. Cum aetate imperii Romani florentis viri docti **Quinti Horatii** carmina interpretarentur atque in ea commentaria ad meliorem comprehensionem componerent<sup>11</sup>, **Priscum** iuvenem **Horatium** legisse verisimile est. Ex quibus pergens **Herbertus Hunger** **Vindobonensis**, rhetorices Byzantinae peritissimus,

suspicabatur **Priscum**, eloquentiae sectatorem, cum de dialogo referret, quem cum transfuga Graeco apud Hunnos versante habuerat<sup>12</sup>, **Horatii** satiram I 9 in animo habuisse<sup>13</sup>. **Horatii** verba omnibus nota sunt:

*Ibam forte via sacra, sicut meus est mos,  
nescio quid meditans nugarum, totus in illis;  
accurrit quidam notus mihi nomine tantum*<sup>14</sup>

**Priscus** orationem inchoavit:

Διατρίβοντι δέ μοι καὶ περιπάτους ποιουμένῳ πρὸ τοῦ περιβόλου, προσελθὼν τις, ὄν βάρβαρον ἐκ τῆς Σκυθικῆς ὤθησεν εἶναι στολῆς<sup>15</sup>.

Similitudinem ambulationis **Horatii** et **Prisci** ambulationis cognoscere non est arduum; demonstrare autem rerum scriptorem poetae verba tenuisse difficile esse mihi videtur<sup>16</sup>.

Aetate **Iustiniani** **Iohannes Laurentius Lydus** florebat, vir doctissimus, qui imperatori deditus aliquamdiu civitatem administrabat<sup>17</sup>. Et linguae Latinae et linguae Graecae peritus De magistratibus imperii Romani tres libros conscripsit. In capite quadragesimo primo primi libri satiram Romanam tractavit. Recte **Lucilium** primum satirographum Romanum appellavit minusque lucide comoediam satiricam commemoravit. Sequuntur verba de posterioribus satiricis: Ὅρατιος μὲν οὐκ ἔξω τῆς τέχνης χωρῶν, Πέρσιος δὲ τὸν ποιητὴν Σώφρονα μιμήσασθαι θέλων τὸ Λυκόφρονος παρῆλθεν ἀμαυρόν. Τούρνος δὲ καὶ Ἰουβενάλιος καὶ Πετρώνιος, αὐτόθεν ταῖς λαιδορίας ἐπέξελθόντες, τὸν σατυρικὸν νόμον παρέτρωσαν - et **Horatius** quidem ab arte non aberravit, **Persius** autem, **Sophronem** poetam imitari cupiens, **Lycophronis** caliginem superavit; **Turnus**, **Iuvenalis** et **Petronius**, continuo conviciis irruentes, satyrici carminis legem violarunt<sup>19</sup>.

Qui hunc textum leget, brevi tempore cognoscet **Lydum** auctores citatos ipsum non perspexisse; potius nobis persuasum est eum enchiridio a viro docto in modum composito usum esse. Ut de forma et fontibus talis enchiridii suppositi uberius disseram, hic locus deest.

Historiographiam Byzantinam tripartitam fuisse omnibus, qui litterarum studiis operam dant, pernotum est. Primo loco ii auctores enumerandi sunt, qui historiam ecclesiasticam exposuerunt; cum **Euagrio Scholastico** sexto saeculo exeunte illud genus historiam scribendi finitum est. Secundi generis auctores nobilissimi Byzantini erant, qui in sui temporis res gestas inquirebant. Tertium autem genus chronicorum

genus est, quorum auctores omnia quae a creatione mundi usque ad suam aetatem memorabilia facta erant, ad popularem sensum accomodata narraverunt. Horatii nomen non reperire possumus nisi in libris qui chronica mundialia appellantur. Sed non omnia chronica eius generis quod cum Ioanni Malala aetate Iustiniani imperatoris celeberrimi Antiochiae nato inchoavit, Horatii poetae nobis iucundissimi mentionem faciunt.

Post annum octingentesimum sextum autem **Georgius** quidam **Syncellus** cognominatus chronographiam composuit ab Adamo usque ad Diocletianum patentem. Syncellus titulus scribae patriarchae Constantinopolitani erat Georgiusque Tarasio patriarchae usque ad eius mortem anno octingentesimo sexto inserviverat<sup>20</sup>. Ad annum mundi quinquies millesimum quingentesimum tredecimum chronographus nuntiavit: Ἐπὶ Καίσαρος Αὐγουστοῦ τοῦ φιλόσοφοι ἤκμαζον ἐπίσημοι οὗτοι, Βιργίλιος, Σαλούστιος, Λίβιος, Ὀρτέσιος, Τερέντιος, Ὀράτιος, Ἀθηνόδωρος Ταρσεὺς καὶ Σιτίων Ἀλεξανδρεὺς<sup>21</sup> - Augusto Caesare imperante Vergilius, Sallustius, Livius, Hortensius, Terentius, Horatius, Athenodorus Tarsensis et Sition Alexandrinus philosophi clarebant<sup>22</sup>. Catalogum auctorum Syncellum a fonte antiquo recepisse manifestum est. Eusebium Caesariensem saepius citat<sup>23</sup>; hoc loco autem peiore fonte quem ignoramus Syncellum nisum esse constat.

Georgii Syncelli ordinem temporum **Georgius Cedrenus** secutus est, chronographus cuius vita nobis ignota est. Ex multis libris chronicon compilavit, quod a mundo condito usque ad Isaacium Comnenum imperatorem patet. Ex numero poetarum Octaviano Augusto imperante florentium unum commemorat, Publium Vergilium Maronem<sup>24</sup>; Horatii nomen autem oblivione obruit.

Sed Byzantinis etiam opus encyclion suppetebat, quod triginta milia vocum continebat ad omnes partes litterarum pertinentium. Et nomen **Suda** erat, quod munimentum contra ignorantiam erectum significat; falso auctori ignoto qui Suidas nominatus esse dicitur, per longum tempus attribuebatur<sup>25</sup>. In hoc opere encyclopaedico Horatii nomen repperimus: Ὀράτιος. ὄνομα κύριον. Ὁ δὲ Ὀράτιος λελωβημένος ἦν τὰ σκέλη, ὑπατείας τε οὐκ ἔτυχεν, οὔτε ἐν πολέμῳ, οὔτε ἐν εἰρήνῃ, διὰ τὴν ἀχρηστίαν τῶν ποδῶν - Horatius, Nomen proprium, Horatius autem pedibus captus erat, neque belli pacisve tempore consulatum adeptus est, quod usu pedum caperet<sup>26</sup>. Facile est demonstrare Horatium a lexicographo commemoratum non esse poetam, cuius memoriam celebramus, sed Quintum Horatium Coclem<sup>27</sup>, priscae Romanorum virtutis exemplum.

Ex quibus quae nuntiavi apparet Horatii carmina Byzantinis ignota fuisse nomenque poetae solum paucos viros doctos in libris historicis legisse. Vim et auctoritatem Flaccum in cultu atque

humanitate Byzantina habuisse negandum est. Qua de causa cum saeculo decimo tertio aetate litterarum resurgentium **Maximus Planudes** monachus humanissimus eiusque discipuli auctores Latinos in Graecum transferre coepissent, nomina Ciceronis, Ovidii, Catonis, Iuvenalis, Donati, Augustini, Boethii deliberabantur<sup>28</sup>, Horatium autem nemo respicere in animo habebat.

## ADNOTATIONES

- 1 Cf. Martin Schanz, Geschichte der römischen Literatur, 2, Ed. 4. (Carl Hosius), Monachii 1935, p. 157 sq.
- 2 Cf. Berthold Altaner, Patrologie, 6. ed. (Alfred Stuiber), Friburgi Brisgoiae 1960, p. 206 sq.
- 3 Eusebius, Werke, t. 7: Die Chronik des Hieronymus, ed. 2, quam curavit Rudolf Helm, Berolini 1956, p. 165.
- 4 R. Herzog in: Der Kleine Pauly, edd. Konrat Ziegler et Walther Sontheimer, t. 4., Monachii 1972, p. 1297.
- 5 Eusebius l.c., p. 166.
- 6 P.L. Schmidt in: Der Kleine Pauly l.c. t. 5, Monachii 1975, p. 1130 sq.
- 7 Konrat Ziegler in: Der Kleine Pauly l.c. t. 4, Monachii 1972, p. 943.
- 8 Eusebius l.c. p. 167.
- 9 Carolus Müllerus, Fragmenta historicorum Graecorum, vol. 5., Parisiis 1868, p. 69.
- 10 Wilh. Ensslin in libro: Paulys Realencyclopädie der classischen Altertumswissenschaft, Ed. nova (Konrat Ziegler), t. 45, Stutgardiae 1957, p. 9 sq.
- 11 Schanz l.c. p. 152 sq.
- 12 Josephus Kuranc, De Prisco Panita, Lublini 1958, p. 15.
- 13 Herbert Hunger, Die hochsprachliche profane Literatur der Byzantiner, t. 1, Monachii 1978, p. 283.
- 14 Q. Horatius Flaccus, Satiren, expl. Gustav Krüger, 17. ed. (Paul Hoppe), Lipsiae 1923, p. 63.
- 15 Müllerus l.c. p. 86.
- 16 Veri similis R.C. Blockley, The fragmentary classicising historians of the Later Roman Empire, Liverpool 1981, p. 55 memoriam Platonis, Phaedo 227 a, revocat.
- 17 T.F. Carney in: Der Kleine Pauly l.c. t. 3, Stutgardiae 1969, p. 801 sq.
- 18 Ioannes Lydus, recogn. Immanuel Bekker, Bonnae 1837, p. 153.
- 19 Editionis Bekkerianae translatio.
- 20 Hunger l.c. t. 1 p. 331 sq.
- 21 Georgius Syncellus et Nicephorus Cp., rec. Guilielmus Dindorfius, vol. 1, Bonnae 1829, p. 602.
- 22 Interpretatio Goari apud Dindorfium l.c.
- 23 Laqueur in: Real-Encyclopädie l.c. Series 2., t. 4, Stutgardiae 1932, p. 1409 sq.
- 24 Georgius Cedrenus, ab Immanuele Bekkero suppletus et emendatus, t. 1, Bonnae 1838, p. 303. - Etiam Cassius Dio, cuius libros historiam Romanam tractantes saeculo undecimo Iohannes Xiphilinus monachus Constantinopolitanus excerpens relegit, poetam nostrum nescit (Henricus Smilda, Cassii Dionis Cocceiani historiarum Romanarum index historicus, recogn. Ursulus Philippus Boissevain, Berolini 1926, p. 300).
- 25 H. Gärtner in: Der Kleine Pauly l.c. t. 5., Monachii 1975, p. 407 sq.
- 26 Translatio secundum editionem: Suidas, Lexicon, rec. Godofredus Bernhardt, t. 2, Halis 1853, p. 1145 sq.
- 27 Suidas, Lexicon, ed. Ada Adler, pars 5 (Indices), Lipsiae 1938, p. 161.
- 28 Iohannes Irmischer apud Kazimierz Kumaniecki, Acta sessionis Ciceronianae diebus 3-5 mensis Decembris a. 1957 Varsoviae habitae, Varsoviae 1960, p. 162.



# LATINITAS VIVA

UBI COLATUR

## SEMINARIA LATINA

Latine loqui docere: hic est scopus seminariorum a Societate Latina institutorum. Eorum peritissimus moderator est Dr P.C. Eichenseer, qui iam ab anno 1973 talibus seminaris innumeros homines induxit ut Latine loquerentur. Eius cooperatrix D.rix Sigrides Albert iuniores separatim curat atque delectabiliter impellit in colloquia Latine habenda.

Duo seminaria anno 1994 fient:

### **Morsaci (Morschach) in Helvetia a die 17 in diem 23 mensis Iulii**

Scribatis ad: SOCIETATEM LATINAM  
Universität - FR 6.3  
Postfach 1150  
D-66041 Saarbrücken

### **Vavriae (Wavre) in Belgica a die 5 in diem 12 mensis Augusti**

Scribatis ad: Gaium LICOPPE  
Avenue de Tervueren, 76  
B-1040 Bruxelles

## L.U.P.A.E SEMINARIUM PRAGENSE

Fiet a die 30 mensis Iulii in diem 6 mensis Augusti. Praeter sermones, orationes, disputationes cantus, concertus, excursiones Pragae offeruntur. Tirones etiam expectantur, atque Graece licebit loqui.

Scribatis ad: Marium ALEXA  
Burgstrasse, 3  
D-59368 Werne

## FERIAE LATINAE

a Dre Suitberto Siedl OCD institutae. Moderatores eas fieri volunt "Tusculum quoddam ubi cum Cicerone, Cassiciacum ubi cum Augustino, Cenaculum ubi cum Hieronymo..." Celebrandae sunt

### **in Carinthia a die 21 in diem 26 mensis Februarii**

Scribatis ad: Felicem W. KUCHER  
Bildungshaus St. Georgen  
A-9313 St Georgen/ Längsee

### **Nicaeae a die 21 in diem 28 mensis Augusti**

Scribatis ad: Clementem DESESSARD  
Résidence des Collines, C9  
500, Rue Léo Brun  
F-06210 Mandelieu

## DOMUS LATINA

Sessiones Latinae fiunt Bruxellis in Domo Latina, ad quas participandas omnis latinista libenter invitatur. Si quis de his plura scire cupit, scribat ad Melissam.